

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0556

0554

0560

0550

541

habuissem socium, vix me continuissem. Sed circa hoc quaeritur, utrum, qui deosculatur sepulchrum Machomet, vel genuflectit aut aliquid hujusmodi fecit in venerationem, sit infidelis? Respondet Alexander de Hall.: si Christianus illa facit, quia ita credit et ideo profitetur, apostata est et haereticus. Si vero hoc facit solo verbo, vel propter metum, non in corde, tunc peccat mortaliter, non tamen est haereticus nec excommunicatus, nec est necesse, quod propter hoc vadat ad Papam vel episcopum pro absolutione obtainenda. Haec Alexander. Qui autem ingreditur quasi honoraturus et gestibus honoraret, sed intentione vituperaret et corde consideraret errores et fatuitates, ut eos Christianis propalaret, quamvis curiositate et praesumtione non modicum peccaret, credo tamen levius puniendum et excusandum. Multa mira referunt de hoc monstruoso Machometi sepulchro. Nam sicut olim totus mundus mirabatur ferreum simulacrum Bellorophontis in Smyrna civitate, ita nunc miratur hoc sepulchrum. Praedictum enim simulacrum erat unum de septem mirabilibus mundi, pro eo, quod tanta ferrea moles stabat in aere suspensa, nec catenis sursum pendens, nec subtus ullo stipite suffulta, sed magnes lapis similiter eandem imaginem in altissimi arcus sublimitate et subtus eam in pavimento collocatus sursum et deorsum eam trahebat, sicque in medio suspensa tenebatur. Eodem modo nunc tenetur tumba ferrea Machometi, suspensa virtute magnetis, nisi quod tumba illa non tanti est ponderis, quanti erat idolum Bellorophontis, quod quinque millia habebat libras ferri, quia erat equus magnus et vir desuper. Verum anno Domini 1480., uti veridica et certa relatione comperimus, subito horrenda venit tempestas, divina haud dubium dispensatione, micabant fulgura, tonitrua terribilia resonabant, ignis descendit de coelo et grando ingens in Mecham et templum praesertim atque sepulchrum illius maledicti seductoris cum corpore ejus in profundum terrae, vel certe inferni, detrusebunt; ita, quod nullo deinceps modo aut studio potuit inveniri. Magna quoque pars templi corruens igne consumpta est, atque ita pseudo sui prophetae reliquiis et corpore Sarraceni privati sunt et, si intelligere vellent, vehementer valde confusi; sed induratum est insipiens cor eorum et nunc sicut ante et forte

Ende

Anfang

